

offerente, ibi cartam unam venditionis continentem ut subter. In nomine Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Henricus gratia Dei Imperator semper Augustus, anno Imperii ejus Deo propitio decimo septimo Cal. Aug. Ind. VII. (1) Constat me Aldericum, qui & Magnifredus Marchio qui professus sum ex natione mea lege vivere salica accepisse, sicut & in praesentia testium accepi a te Ayfredus praebiter filius quondam Rodulphi in argentum denarios bonos solidos centum finitum pretium pro castro uno cum tenimento foxato circumdato, & capellas duas foris eodem castro recenter aedificatas in nomine sanctae Mariae, & sancti Nazarii, & rebus aliis juris mei, quas habere visus sum in loco, & fundo, qui dicitur Lesegno per mensuram justam inter castrum, & capellas cum casis sediminibus, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis zerbis, & buscalys cum juribus, & pertinentiis jugera trecentum quadraginta. Coherent eidem a tribus partibus terra mea, ut supra Oldericus Marchio, qui in mea reservo potestate, in quarta parte fluminis Tanagri. Quae suprascripta tibi, qui supra Ayfredus praebiter filius quondam Rodulphi, trado mancipio per cultellum, festacam, notatum, mattonem (*vantonem*), ravasionem (*vasonem*) terrae ramum arboris . . . Tibi exinde legitimam facio traditionem, & investituram, & me exinde foris expuli, & feci tibi potestatem ad habendum proprietario nomine quidquid volueritis sine mea, & heredum meorum contradictione. Si quis vero contra hanc cartam venditionis infringere . . . & praesens charta venditionis diuturnis temporibus firma permaneat cum stipulatione sub annexa . . . actum in villa Cariniani feliciter.

Signum manibus Magnifredi Marchionis, qui hanc cartam venditionis fieri rogavit.

Signum manibus Aylulphi, & Ayfredi omnes lege viventes salica. Valpertus Notarius rogatus subscripsi. Et ego Azzo Notarius sacri Palatii.

(1) *Notae istae falsae sunt. Anno enim Imperii Henrici in Italia X. currebat, indictio XI. ex Murat. in Ann. juxta vero epocham hisce regionibus adhibitam fuisse indictio XII., quemadmodum in autographo fuisse scriptum puto. Facilis enim est hujus notae V. in duplicem X. commutatio.*

### Diploma Henrici II. Imperatoris Primo Episc. Aquensi ex lacero transumpto saeculi XV.

12

M X I I I.

In nomine Dei Salvatoris, Henricus ordinante divina clementia Rex. Si nostrorum fidelium dignis petitionibus, maximeque pro Dei causa intervenientibus aures nostrae serenitatis inclinamus, devotiores eos in nostris obsequiis permanere, & super haec beatitudinis praemia a Domino non dubitamus . . . ideoque notum volumus fieri universis sanctae Dei matris Ecclesiae fidelibus nostrisque praesentibus, atque futuris, qualiter Venerab. Henricus S. Wurtiburgensis Ecclesiae Episcopus nostrae dignitatis adiit altitudinem supplicans nos post . . . quatenus ob reverentiam divini cultus, & de (ejus) interventionis obtentu Venerando Episcopo Aquen-

sis Ecclesiae nomine Primo (1) confirmare, & corroborare nostris apicibus dignaremur, quidquid ad eundem Episcopatum juste, ac legaliter . . . traditiones, & donationes seu confirmantes nostrorum praedecessorum Regum, vel Imperatorum . . . praesentibus annuentes jam dicto Venerabili Episcopo, suisque successoribus in perpetuum regali auctoritate confirmamus, & corroboramus . . . omnia praedicta castella . . . famulos, vel famulas, & universa, quae eidem Ecclesiae antiquioribus . . . ut hac nostra auctoritate, & defensione . . . omnis adversarius . . . volumus insuper, & ordinamus, atque concedimus, ut ubicumque aliqua . . . concambiis creverit, atque emerferit . . . & definiendi per pugnam, vel campionem (2) nedui . . . sed domini manifesto judicio declaretur omnium . . . ut nullus Dux Marchio Episcopus comes vice-comes sculdachio gastaldius, nullaue regni nostri praepotens persona magna, vel parva jam dictum Primum Episcopum, vel suos successores de jam dicta confirmatione, & corroboracione, seu concessione . . . rebus, & proprietatibus, plebibus, & decimis, atque omnibus appendicibus antiquo, & moderno tempore acquisitis, vel acquirendis, jam dicto Episcopo pertinentibus inquietare, aut molestare, aut disvestire praesumat, sed liceat eis per hanc nostram regalem paginam eandem confirmationem, & corroboracionem, seu concessionem, atque jam dictas plebes, universasque earum pertinentias tranquillo, & proprietario jure possidere omnium hominum contradictione, vel diminoratione remota. Si quis igitur contra hanc nostrae concessionis, vel corroboracionis auctoritatem aliquid agere, & jam dictum Episcopum de praefata concessione, & . . . inquietare, aut de praetaxatis rebus disvestire tentaverit, sciat se compositurum auri optimi libras centum medietatem camerae nostrae, & medietatem ipsi venerabili loco & jam dicto Pontifici, seu cuicumque inibi pro tempore praesidenti. Quod ut verius credatur, diligenterque ab omnibus observetur manu propria roborantes sigilli nostri impressione inferius muniri jussimus.

Signum D. Ehrici.

Actum anno Dominicae Incarnationis MXIII. indict. XII.; anno vero Domini Henrici Regis . . . actum Papiae (3) feliciter amen.

(1) *Jam Imperatorum aliorumque beneficio ab egestate aliquantisper sublevatum hunc Episcopum credi oportet. Nulla enim in hoc diplomate inopiae sicuti in prioribus fit mentio. Inde tamen novimus Primum pro Ecclesiae suae jurium conservacione admodum laborasse, cum hac de causa ab Imperatore impetraverit, ut si de bonorum Ecclesiae proprietate, ac dominio ex donatione, venditione, concambio, sive commutatione acquisito, quaestio emergeret, posset proposita pugna per advocatos Ecclesiae, sive Campiones eam definire. In ea siquidem incidit tempora optimus ceteroquin Episcopus, in quibus legum auctoritas & judiciorum ordo languebat, & pleraque ferro armisque, & majori virium impetu dijudicabantur. Manifestum hoc fit ex eo, quod quae olim rara erant Duella, nec nisi paucis in casibus, & necessitate suadente, ut Luitprandus Rex lib. VI. leg. LXV. affirmat, permittenda, videamus postea frequentissima, & novis Ottonum, & Henrici legibus*